



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XXII. Vtrùm circumstantia loci necessariò sit confitenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Caput III. De Qualitate

Responsio. **D**ubium nō est, quin personæ circumstantiam oporteat confiteri, cum peccatum cū genere vitæ pugnat, Verbi gratia: Si quis sacris initiatus ordinibus ignoto cōfiteatur Sacerdoti, quòd fornicatus fuerit, cum istud peccatum voto castitatis aduersetur, etiam se Sacerdotem esse, debet manifestare.

Quæstio *Estne circumstantia loci necessario*
XXII. *confitenda?*

Responsio. **S**olūm in tribus peccatis est necessario cōfitenda, scilicet in furto, effusione sanguinis, & effusione seminis in Ecclesia, idque siue reipsa fiat in templo, siue solo cogitationis cōsensu. Cuius rei ratio, quòd in hoc triplici genere peccati, præter turpitudinem actionis aut cogitatus, etiā iniuria fiat DEO, sacro loco in cultum Diuinum destinato & consecrato. Credo, quòd non sufficeret furari in Ecclesia ad hoc, vt fit sacrilegium, nisi res esset Ecclesiæ. Et effusio sanguinis debet esse notabilis.

Prætereà, si quis in hæc tria, vel eorum vnum aliquod perpetrandum extra Ecclesiam consentiat, adhuc versans in Ecclesia, non est sacrilegus: Si verò extra Ecclesiam consentiat in aliquod horum faciendum intra Ecclesiam, tenetur confiteri de hac circumstantia, quia iam fit iniuria loco.

Estne